

6



duce a scopo veritatis aberrare dicamus. Pugnamus enim pro veritate, non pro Aristotele. Ad arma igitur!

Deum imortalem! qui fieri potest, ut tellus tot siccas exhalationes emittat, quot ad longe majorem, ac ipsa est, Cometæ molem conflandam sufficerent? profecto! si hoc veritati consonum foret, terra tota quanta jam dudum in ejusmodi halitus migrasset. Dein Cometæ per plures conspiciuntur dies, imo & per menses. Quis autem credat, exhalationem sulphuream concretam licet, ubi semel accensa fuerit, tamdiu ardentem persistere? quum tamen quæcunq; phænomena ignea in aere vagantia statim evanescant.

§. V.

Opponunt quidem, ignem cometicum esse lentum ob materiam arcte compactam, ac continuo suppeditatam.

Sed responsio est in promptu. Esto enim arctior materiæ inflammabilis compages ignem reddat quodammodo lentior; negamus tamen, eum exinde tali, tantaque adfici tarditate, ut per dies, & menses ardere queat. Id vel maxime patet ex fulmine, cujus materia abs dubio est valde condensata. An vero fulmen semel accensum, ac inter horrendos nubium boatus excussum pluribus circumvagatur diebus? minime gentium! sed post modicam temporis moram denuo exspirat. Est itaque incredibile, exhalationem aliquam tamdiu collectam in aere ardere posse, quamdiu Cometæ in cælo visuntur. Profecto stellæ decurrentes ex ejusmodi halitibus etiam coalescunt, vix tamen accensæ mox iterum extinguuntur. De cetero eam materiæ copiam iterum iterumq; suppeditari, cujus accessu Cometa diutius conservetur, omnino gratis est confictum. Per imensa siquidem cælorum spatia circumerrat Cometa, quo eum sane